



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

tur: stomachum fœmina infigūt hastæ, pro signo circunferentes victoria: Alij hoc genus interpretatur diuinandi.

CAPVT XVIII.

Vilhelmus iam dux Brunswicensis, princeps magnanimus & victoriosus, cuius plures numerantur victoria, quàm aliorum arces: cum in Austria visitare decreuisset Fridericum ducem affinem suū, cumq; illo de rebus magnis agere: Hērico fratri mansueto principi, ducatum & omnem familiam, charam coniugem, & liberos, in fidem commendabat: abiensq; omnia benè putat constituta: Peruenit ad affinem, à quo perbenigne excipitur. Per ea tempora Philippus dux Burgundia, Karolū regem Fræcia bello perurgebat, patrē suum Iohannē vindicans. Rex cum suppetias Fridericum Austria ducē postulasset, isq; mittere decreuisset, iam præsentē, & eam rem sua sponte ambientem & Wilhelmū suis copijs præfecit, misitq; trans Rhenum in Franciam. Ibi & Wilhelmus Philippo se regis nomine obijciens, fortiter præliatur: & multis prælijs victor, cum iam tempus eum reuocaret, ad affinē suū redijt Fridericū. Interea audit quid in suo gestū sit, Henricū germanum suū, cui omnia permisisset, cui charissimos demandauerit affectus, inuasa arce & wulsenbuttel, quæ sedes est ducalis, & Wilhelmū coniugem cum liberis exegisse. Miserum spectaculum. Vidit domina venientem Henricū mariti germanum, modestum semper principem, cui ipsa in fidē cum liberis sit permissa, postulauit admitti in arcē: Promptē iussit aperiri: iubet abcedere dominā cū filijs. Triste negociū, & quod barbaros cōmoueret: Non sic, inquit mulier, mandauit & Wilhelmus germanus tuus. Sed ille in se uero mansit imperio. Quid faceret? Sumptis per manus liberis abcessit. Huius rei magistri ferūtur Brunswiccen-

ses oppidani: qui sub viuaci principe vitam agere socordem non poterant: Effecere, ut monacho quam duci similior princeps illis imperaret. Quem non superat ambitus dominandi? Atergo fides, longè omnes sunt affectus, ubi imperium est in promisso: Possum, inquit alius, implere fidem: sed non in regno. Reuersus & Wilhelmus, videt quid sit actum: Nihil modesta consilia, nihil pacis tractatus potuere. Queritur ergò amicis perfidiam in se fratris. Inprimis Magnus Hildesemensis episcopus, compassus querenti ex animo, promittit armorum auxilia: causam esse communem sibi, aequè se dolere cum eo qui sit passus: Parantur arma: exitur ad incendia, pradam, captiuitates. Huius rei auctores Brunswicensis ciues adsciscunt in armorum societatem Magdeburgenses: militiam conducunt stipendio: graui mole concurrunt ubique: omnia vasta ac deformata igne ac gladio horrent. Iam omnibus euastatis, cum neutra pars magno de lucro gloriaretur, interuenere principes Ludouicus Landgrauius Hassiae, Iohannes marchio Brandenburgensis, Otto dux Luneburgensis, qui controuersiam in hunc modum diremerunt: Daret Henricus & Wilhelmo XIII. millia sexagenarum in grossis: & Wilhelmus dominatum de Homborg, cum Honouer, & subiecta ditione teneret, donec aliter rebus consuleretur. Nam & ducatus Gottingensis in expectatione fuit ab Ottone monoculo, qui prolem virilem iam senex non haberet. Henricus quoque & Wilhelmi frater, nullis heredibus, ut putabatur, donandus, vacuam facillè domum relinqueret & Wilhelmo. In eam formam rebus transactis, & Wilhelmus temporì seruiuit, breuè assequutus Gottingensem principatum.

CAPVT